

1521 cui nuper Hispaniae regna amplissima , Ferdinando , & Heli-
 fabeta vita functis , obvenerant , quiq[ue] Neapolitanorum re-
 gnum adeptus fuerat , licet adversante Franciso Galliarum Re-
 ge , in demortui Maximiliani Imperatoris locum suffectus es-
 set , odia , quæ jam restincta videbantur , recrudecere , ambi-
 tio transversos potentissimos Principes agere , Italia per tot
 annos armis labefactata æmulationes alere , atque excipere ,
 ac materiam ad arma exercenda præbere cœpit ; cum Cæsar
 opulentissima Insubrum ditione privari , quam ad se Imperii
 jure spectare censebat , ægre ferret ; neque Galliarum Rex a
 Neapolitano regno excludi , quod priores Reges hereditario
 nomine poscentes vi armisque ceperant , æquo animo patere-
 tur : jamque in dies ali occulta inimicitia semina , alienari
 Principum mentes , ut si qua vel exigua occasio redintegrandi
 belli foret , turbari iterum res Italæ , dívina , & humana
 misceri facile possent . Sed imminentि malorum fato unum id
 obſistere videbatur , quod , quæ voluntas Italorum Principum ,
 quæ inclinatio animorum futura eſſet , non ſatis erat explora-
 tum : utram vero in partem vires provinciæ propenderent ,
 maximum ad bellum conficiendum momentum erant habitu-
 ræ . Republica Veneta armis diu conflictata , quæ , fœdere
 cum Franciso Rege inito , ad Mediolanum tuendum teneba-
 tur , motus bellorum denuo excitari , pacem labefactari ægre
 admodum latura videbatur ; cum ob imminentis belli Turci-
 ci ſuſpicionem ; tum quod annuatim classibus parandis , mari
 tutando , imperio terreftri , ac maritimo defendendo publicæ
 vires , ac privatæ civium opes abſumerentur , neque pares ad
 utrumque bellum ſuſtinendum eſſent . Leonem Pontificem Ma-
 ximum in ſummo dignitatis gradu collocatum , Urbini ditio-
 nibus , pulſo Duce , ſibi adjectis , nova appetere , ac moliri :
 religione , & pace florentem Italiam , in qua ſatis amplum im-
 perium obtineret , novis bellorum eventibus objicere credibi-
 le non erat ; cum Reges , qui opibus , imperio , viribus ſum-
 mopere pollebant , ſi ſemel in aciem descendiffent , verendum
 foret , ne is , cui victoria afflaret (ut eſt hominum , ac præ-
 cipue Regum ingenium regnandi appetens) universam Italiam
 excurreret , legeſque omnibus imponere adniteretur . Florenti-
 na Republica , quæ nil , niſi ad Leonis Pontificis nutum age-
 bat , nunquam ſua conſilia ab illius voluntate ſejuſtura vide-
 ba-